DE
Iuſta & canonica
ABSOLVTIONE
HENRICI IIII. CHRI-
ſtianiſſimi Franciæ & Nauarræ Regis.

Ex exemplari in Italia excuſo.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

LVTETIAE,
Apud Mamertum Patiſſonium Typographum Regium. In officina Rob. Stephani.

M. D. XCIIII.

Epiſcopos in Francia iure potuiſſe abſoluere Henricum Borbonium Franciæ & Nauarræ Regem, ab excommunicatione, etiam in caſu Sedi Apoſtolicæ reſeruato, his rationibus aſſeritur.

OMNES excommunicati, in quolibet caſu Sedi Apoſtolicæ reſeruato, ſi canonico impedimento detineantur, quominus Sum. Pont. adire queant, poſſunt abſolui ab alio, iniũgendo ipſis, ſi non perpetuo impedimento laborant, vt, ceſſante eo impedimẽto, ad Apoſt. Sedem accedant, mandatum ipſius humiliter ſuſcepturi. c. Quamuis. c. de cetero. c. ea noſcitur. & c. quod de his. de ſent. excom. & c. eos qui. eo. in 6. Et hoc verũ eſt in excõmunicatione lata tam ab homine, quàm à iure. d. c. eos qui. de ſent. excom. in 6. ſum. Ang. in verb. Abſolutio. 3. num. 17.

Et quamuis illorum capitulorum quædam loquantur de excommunicatis ob violẽtam manuum iniectionem in Cleri-

cum:tamẽ ſunt alia,quæ loquuntur generaliter & in vniuerſum: & eſt eadem ratio, idem ius, atque idem iudiciũ in qualibet alia excommunicat.ob caſum S.Apoſt.reſeruatum.Pan.in d.c.de cetero.nu.1.de ſe. excõ. & Fel.in c.quamuis.eod. Syl. in ver. Abſol.4.nu.7. verſ.quarto vtrum. Nauar. in manu.c.27.nu.89.verſ.ad primum.Philiarcus de off.Sacerd.l.3.c.22.

Nec vſpiã in tali caſu excipitur excommunicatio ob hæreſim. Immò expreſſè & nominatim includitur per Didacum Couarruuiam in com. ad cõſt.Bonif.8. cuius initium eſt, Alma mater.1.par.§.12.nu.14. & per Philiar.lib.3.c.27.verſ.non obſtat ſi ſecundo.

Ceterum eos qui ad Papam ire non poſſunt,ius ad mittendum nõ obligat: etiamſi pro abſolutione mittere poſſint:ſed abſolui vult,cum prædicta iniunctione eundi,cum impedimentum,ſi temporale eſt, ceſſauerit: Nauar.c.27.n.9. verſ. ad quintum. Philiar.l.3.c.23.

Canonicorum verò impedimentorum celeberrimũ illud eſt,& in iure expreſſiſſimum: cùm quis eſt in articulo mortis. d. c.ea noſcitur,c.quod de his.& c.quãuis.&

c.eos qui. &c alibi paſſim. Quo caſu nulla eſt reſeruatio. Atque ideo omnes non ſolùm Epiſcopi, ſed etiã ſacerdotes poſſunt quoslibet pœnitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere. Con. Trid. ſeſ. 13. c.7. §. vlt. præter iura antiquiora, quæ hîc breuitatis cauſa omittuntur.

In alijs autem canonicorum impedimentorum generibus, extra mortis articulum, abſolutio debet dari ab Epiſcopo. d.c. de cetero. & c. ea noſcitur. Quod ſi ne Epiſcopus quidem adiri poſſit, ſacerdos proprius abſoluit. c. nuper. in fi. de ſent. exc. Inno. ad c.1. de ſent. exc. nu. 4. & ſum. Ang. in verb. Abſolutio. 3. nu. 17.

Verùm in hac materia abſolutionum, per articulum mortis, non intelligitur ſolus ille, in quo quis moritur: ſed etiam omnis ille in quo mori probabiliter timetur. Nauar. in d. man. c. 26. nu. 31. Nec eſt vlla differentia inter articulum mortis, & periculum mortis, quoad iura dantia facultatem abſoluendi in eis. Idem Naua. ibid. c. 27. nu. 272. §. 7. ver. ceterum faceſcat. Syl. in verb. Abſolutio. 1. §. 8. Mortis articulus dicitur (inquit) nõ ſolùm periculum mortis ex infirmitate, ſed etiam quodlibet

periculum morti vicinum. Idem tradit nouiſſimè Philiar. li.3. c. 21.§. ſed dubiũ. Per articulum mortis (ait) non ſolùm intelligimus periculum mortis ex graui infirmitate: ſed etiam quodlibet periculum morti vicinum.

Hi verò authores, atque etiam alij de hac materia tractantes, afferunt exempla periculi propinquæ mortis, ex l. 3.4.& 5.ff. de don. cau. mor. nempe ab hoſte, vel à prædonibus, vel ab hominis potentis crudelitate, aut odio, aut à nauigatione, aut ab itinere per inſidioſa loca: & addunt obſidionem in loco, vbi tela iaciũtur, grauiditatem in mulieribus, & alia ſimilia. Ac tandẽ concludunt, tale mortis periculum æſtimari arbitrio boni viri. ſum. Ang. in ver. mors. n.6. Syl. in verb. Abſolutio. 1. nu. 8. Et in verb. mors. nu.4. Philiar. l.3. c.21. §. Sed dubium. prout etiam de alijs impedimentis, tam expreſſis in iure, quàm non expreſſis, ſtatuendum cenſent arbitrio boni viri. Et impedimentum in iure non expreſſum, habent pro canonico ſeu legitimo, quando arbitrio boni viri eſt æquale, vel maius aliquo expreſſo in iure. ſum. Ang. in verb. excommunicatio. 5. n. 50. Syl.

in verb. Abſolutio. 4. num. 3. verſ. quintuſdecimus. Phil. lib. 3. c. 22.

Prædicti autem Epiſcopi Galli, qui Henricum Borbonium ab excommunicatione abſoluerunt, aiunt ſibi conſtitiſſe, cum fuiſſe & eſſe in periculo mortis, & ſe ita arbitratos eſſe, non ſolùm propter obſidiones vrbium, & quotidiana prælia, in quibus ille acrior & præcipitantior eſſe, & periclitari ſolet: ſed multò magis propter multitudinem percuſſorum, & veneficorum, qui ingentibus propoſitis præmijs, à varijs hoſtibus appoſiti, huius Principis vitæ perpetuò inſidiantur. Quorũ nõnulli cum ſicis deprehenſi confeſſi ſunt, ſibi in animo fuiſſe illum, etiã in medio ſuorum cuſtodum, necare: & eſſe alios, quibus idem ſit propoſitum, de quibus exſtant conſtituta ſiue depoſitiones, & proceſſus. Addunt Henricum III. Regem Chrium. & Catholum. per ſimiles inſidias, rebus humanis exemptum fuiſſe, vbi, quando, & à quo minimè putaretur. Ex quibus omnibus virum bonum arbitraturum fuiſſe & eſſe, Henrico Borbonio mortis periculum impendere; nec eius diſcriminis metum, aut etiam abſolutionem differendam fu-

iſſe, donec vita ipſi eſſet adempta.

Inter canonica quoque impedimenta, quominus quis Summum Pontificem adire poſſit, numerantur capitales inimicitiæ. d.c. de cetero. & d.c. quãuis. de ſent. exc. etiam ſi excõmunicatus eas inimicitias ſua culpa ſibi contraxerit. Panor. & Fel. in d.c. de cetero. nu.1. de ſen. exc. ſum. Ang. in verb. excommunicatio.5. nu. 50. Syl. in verb. Abſolutio.4. nu.3. verſ. quartus. Nauar. in manu. c.27. nu.88. Nec mirum videri debet, quod quis reportet commodum ex ſua culpa, cùm culpa non fuerit ordinata ad illud. Felin. in d. c. de cetero.

Quot autem & quàm capitales inimicitias habeat Henricus Borbonius, notoria res eſt. Et ſciunt illi imprimis, qui huic ipſi abſolutioni ſunt infenſiores, quippe ſibi conſcij, quoties eius caput diris deuouerint, & quot & quanta eidem quotidie imprecari ſoleant.

Refertur etiam in numerum canonicorum impedimẽtorum, magna potentia. c. mulieres. de ſen. exc. non ſolùm quia hi qui ſunt magnæ potentiæ, vt plurimùm ſunt etiam ita delicati, vt laborem eundi

ad

ad S. Apoſt. nequeant ſuſtinere, vt in eo. cap.ſignificatur.Sed & multò magis, quia non poſſunt terras,& populos quibus præſunt relinquere.ſum.Ang. in verb. Abſol. 3.nu.51.Syl.in verb.Abſol.4.nu.3. verſ.15.

Et verò non debet,nec poteſt bonus vir arbitrari, quin in tali caſu habenda ratio ſit magnorum & multorum populorum: cùm excommunicato pauperi etiam mendico, pro legitimo impedimento adeundi Pontificem, habeatur ſola vxor, quam de ſua mendicitate alere ſolet; & vili ſeruo, ſolus dominus, qui propter eiuſdem ſerui abſentiam, in graue damnum ſit incurſurus.c.relatum.de ſent.exc.ſum.Ang. in verb. excommunicatio. 5. num. 50.63. &54.Syl.in verb.Abſolutio.4.num.3.verſ. octauus.Nauar.c.27.num. 88. & 90. verſ. ad ſextam.Philiar.libr.3.c.22.

Verùm antequam eiuſmodi viri magnæ potentiæ abſoluantur, ſtatus perſonæ, & veritas negotij eſt intimanda Romano Pontifici, & ſecundum conſilium eius, tales erunt de cõmiſſo ſcelere corrigendi. d. c. mulieres. niſi periculum ſit in mora: quo caſu, propter pericula moræ, abſoluendi ſunt: data cautione,quod parebunt

conſilio ſiue reſponſo Papæ. Gloſa ibid. in verb. laborem veniendi. Syl. in verb. Abſolutio.4.num.3.verſ.ſeptimus.

Cenſentur autem ijdem viri magnæ potentiæ, habere perpetuum impedimentum, & conſequenter non eſſe eis iniungendum, vt ceſſante impedimento Papam adeant. Et dicta cautio, quæ de parendo conſilio vel reſponſo Papæ, ab illis exigitur, non eò pertinet, vt reſeruetur Papæ iudicium, an vir magnæ potentiæ ſit mittendus nécne (cùm hoc multò melius poſſit iudicare Epiſcopus, cui eſt notior.) Sed ideo interponitur, quod conuenientius eſt, vt magnis perſonis magnus Prælatus det mandata. Syl. in verb. Abſolutio 4. nu.9.

Atqui Henricus Borbonius eſt Princeps magnæ potentiæ, qui tot prouincias, ciuitates, & populos, qui ipſi parent, deſerere, præſertim in bello, & ciuili bello, non potuit, nec hodie poteſt. Et quamuis periculum eſſet in mora, & ideo potuiſſet ei dari abſolutio antequam Epiſcopi ad Papam mitterent, accepta ab eo prædicta cautione de parendo conſilio ſiue reſponſo Papæ: tamen ex abundanti, etiam ante

abſolutionem, ipſi Epiſcopi, ſimul cūm Principibus ſanguinis Regij, & alijs principibus, & magnatibus Catholicis, qui ſtatum Franciæ, & ſuum cuiuſque tuentur, ad ſum. Pont. miſerunt Marchionem Piſanum, vt ſuæ S. conuerſionis futuræ propoſitum, & alia eò ſpectantia intimaret, eidémque humillimè ſupplicaret, vt ſuum deſuper conſilium mandatáque dare dignaretur: vt in futura conuerſione omnia ex S. S. voluntate & præſcripto fierent, nihilque prætermitteretur eorum quæ S. S. placuiſſent. Ac licet S. S. ipſum Marchionem nunquam audire dignata eſſet, & ferè per annum expectata fuiſſet audientia: tamen ijdem Epiſcopi, quaſi ad S. S. antea neminem miſiſſent, in tribuenda Henrico abſolutione, quæ amplius differri non poterat, eidem nihilominus iniunxerunt, & cautionē ab eo acceperunt, vt ad S. S. mitteret, eius conſilia mandatáque humiliter accepturus: prout ad eum finem Ducem Niuernenſem, & aliquot Prælatos, cum ampliſſima informatione & proceſſu, & actis authēticis eorum omnium quæ in hac conuerſione interuenerunt, miſit.

Dari autem, propter periculum moræ ſtatim abſolutionem, quæ aliàs non daretur, præter iam allegata, docet c.Sacro.§. Caueat.de ſen.exc.& gl.in c.vlt.in ver.periculum immineat. de pœn.& remiſſ.

Ac præter periculum mortis & animæ ipſius Henrici, de quo iam dictum fuit, & quod iura ſacra tanti fecerunt, vt in tali caſu cuiuis ſacerdoti eandem quam Papæ ipſi, abſoluendi tam à cenſuris, quàm à peccatis facultatem tribuerint: ſuberat aliud multiplex periculum, etiam ſi ille viueret: ſed duplex imprimis: vnum ne Papa in infinitum denegante audientiam catholicis, quoad animam vnius Principis pœnitentis, & hæreticis eundem Principem ab hoc ſancto conuerſionis propoſito omni ope atque arte auertere conantibus, amitteretur tam ampla & felix occaſio benemerendi de Religione Catholica, & de Regno Chriſtianiſſimo reducendo ad fidem & Eccleſiã Catholicam, eum Principem, quem non tantum ius agnationis Regiæ, ſed etiam neceſſitas ipſa defenſionis ſtatus Franciæ, & ſui cuiuſque Catholicis Henricum Regem tertium ſequutis, eo per inſidias necato, ducem dederat.

In ſimilibus autem occaſionibus corripiendum & breuiandum eſſe tempus, oſtendit c. ne quod abſit. iuncto c. Iudæi. & c.duo. de conſec. diſt.4.

Alterum periculum erat etiam animarum infinitorum Catholicorum propter neceſſariam cum eo participationem in communi illa ſtatus & coronæ Franciæ defenſione, & ſuæ cuiuſque dignitatis bonorum ac vitæ propugnatione. Quæ conſideratio tanti fuit apud multos ſapiētes, & pios doctores, vt tradiderint ab excommunicatione, quæ excōmunicato nō proſit, & cōmunitati propter participationem noceat, etiàm impœnitētem & inuitū abſolui oportere. ſum. Ang. inver. Abſolutio.3.num.7.Syl.in verb.Abſolutio.3. nu.10. Phil.lib.3.c.27 .§.Quod autem ſic.

Ex quibus omnibus ſatis conſtare aiunt Epiſcopi, non modò nihil ab eis omiſſum eſſe, quod ad S.S. Apoſt. dignitatem, atque auctoritatem pertineret: ſed etiam S. S. conſilium ac beneplacitum, & prius petitum & diutius expectatum, quàm in periculo moræ à iure præſcriberetur. Abſolutionem prætcrea veriſſimis iuſtiſſimíſque de cauſis datam fuiſſe, & ideo de eius

valore & efficacia dubitandum non eſſe: eoque minus, quòd abſolutio etiam iniuſta atque ex falſa cauſa tenet, dummodo in abſoluente fuerit animus abſoluendi: quãuis peccaret, qui ſic abſolueret, & qui ſic abſolutionem ſibi procuraret. ſum. Ang. in verb. Abſolutio. 3. nu. 2. Syl. in verb. Abſolutio. 1. nu. 13. verſ. Quinto quæritur. Nauar. c.9. nu.2. & c.27. nu. 8. Philiar. l.3. c.24.

Neque verò in pœnitente defectum repertum fuiſſe, quo abſolutio impediretur, ſiue in inſtructione, & poſt congruentem inſtructionem in erroris ingenua recognitione, & deinceps publica abiuratione, ſiue in profeſſione fidei Cath. Apoſt. Ro, ſiue in cautione de parendo conſilio & reſponſo Summi Pontificis, & mãdatis Eccleſiæ, ſiue in quolibet alio actu huius ab omnibus bonis tam deſideratæ & Religioni Catholicæ, ac Regno Chriſtianiſſimo tam neceſſariæ conuerſionis. Nullam denique cauſam fuiſſe, cur ipſi Epiſcopi dubitarent eum à vinculo excommunicationis abſoluere, & reſtituere Sacramentis Eccleſiæ, & communioni ac vnitati fidelium.